

בשנת יג'ה

17

INTRICATUM PRIMÆ SEDU- CTIONIS OPPANON EXTRICATUM

Brevi Dissertatione
CRITICO-PHILOLOGICA,

Quam

*Ex suffragio Ampliss. Ord. Philosoph. in
Regio ad Auram Lyceo,*

PRÆSIDE

VIRO Max. Rever. atque Amplissimo
Dn. ISAACO ՅԱՀՅԱՅԱՆ Դ/
Orient. & Græc. Lingg. Prof. Reg.
& Ord.

*Publicē ventilandim sicut
CAROLUS J. MALMBERG
Ny opia Sudermannus.*

Ad diem 10. Maii Anni 1732. In Audit.
max. horis solitis.

ABOÆ, Exc. R. Ac. Typ. Joh. Kiämpe.

S:æ R:æ M:tis
Maxime fidei VIRO
GENERALI MAJORI

Et per
Provinciam Sudermannicam
GUBERNATORI

Lange Gravissimo,

Celsissimo atque Illustri Comiti ac Domino

D_{N.} MICHAELI
TÖRNFLYCHT,
MÆCENATI MAXIMO.

Beneficiis.

Facile. alliciuntur. homines.

Itaque.

Non. immemor.

TUI.

Erga. Musarum. cultores.

Favoris.

Rudes.

Hosce. ingenii. mei.

Fætus.

TIBI.

Celsissime atque Illustris.

DOMINE.

Co-

Comes.

Sacratos. volo.

Id.

Spatet.

Pietas. Tua.

Nobilitas. Tua.

Gratia. Tua.

Reverentia. Tui.

TE.

Laudant. TUI.

TUAM.

Verentur. Omnes.

Bonitatem.

Justitiam.

Sanctitatem.

Aura.

Bonitatis. TUA.

Adfles.

Me.

Qui.

Quoad. vixero.

Eternum. manebo.

Celissimi atque Illusterrimi

NOMINIS TUI

Humillimus Cultor

Carolus Malmberg.

VIRO

Amplissim, Consultissimoque

Dn. JONÆ MALMBERG,

Earum, qvæ ad justitiam attinent,
partium Consuli apud Nykopienes
laudatissimo, PARENTI ut optimo,
ita omni, qvo filium decet, honoris
& obseqvii cultu & reverentia usqve
ad cineres proseqvendo, venerando.

Minerva licet tenet oeyavor satane se-
ducentis descripserim: nibilominus
mearum esse partium duxi, primitias bas-
ce frugum Tibi, optime mi PATER, re-
servare. Nam indulgentias singulares per
singula horarum momenta impense mul-
ticasti: que nervos omnes & mentis &
corporis sane intendunt, ut non possim,
quo minus amorem Tuum jam praedicem.
Tibi enim in primis id fuit curæ, ut curo
datus à teneris biberem commercium. Oc-
casione ergo querens beneficiorum Tuo-

VIRO

admod. Rever. atque præclariss: Domino
Mag. SAMUELI KIELLIN,
Ecclesiarum, qvæ in Sund & Wård-
öö Alandiaæ Deo colliguntur, Antisti-
ti meritissimo ac vigilantissimo, Pa-
trono longe propensissimo, multis no-
minibus ætatem suspiciendo,
honorando.

Plurimum Rever. atque Clariss. VIRO
Dn. JOHANNI LINDBERG,
Pastori ad parœcias Stigtemia & Næ-
kyrka Sudermannorum dignissimo &
adcuratissimo. Avunculo benignissi-
mo, Evergetæ certissimo, æternum
æstimando, amando.

כמה גְּרוֹלָה קְנַאתָכֶם בְּחִקְרֵל יְהוָה
אֲנוּ אָין יוֹמָר לְזִמְרוֹכָל גְּמוֹלָכֶם
יְהָחֵסֶר

rum recordationem piam, & filii affe-
ctum testandi, labore bunc omni desti-
tutum nitore, in gratissimi animi tesse-
ram offero. Accipe, queso, fructus in-
dolis immaturæ, e reverenti filii sinu pro-
lates, qui ad extremum vite balitum vi-
cturus sum, Tibi

CARISSIME PATER

Obedientissimus Filius

Carolus Malmberg.

והחסר אשר עשויהם לי קטונתי
לספר על כן רק אבוי מלאחים מבקש
שתזהירו נפשותיכם ככוכבי השמיים
לעלם והשווון ושמחה תילככום גול
לו הארץ ושב עולםיהם וער ואני
אהיה בירארך לטוי עד יומם מותי
עברכם ענו ונאמן

Carolus Malmberg

*Auct*or.**


Auctori Dissertationis
Nodum seductionis prime soluturo
Dn. CAROLO MALMBERG,

Carmina cum rogites de me Malmberg
peramande,
Quæ invito Phœbo, deproperanda mibi.
En celebrat suaves Heliconia turba labores
Cultori spondens laurea sertæ suo.

Scrips. Aboe die 6. Maii

1732.

Ita adplausit
Nicolaus L. Tammelin.



I. N. f.

πρόλογος

*Aditum ad materiam tractandam
paucis pandit.*

Hominem primum non ex semine per generationem, sed à Deo Trinuno כֶּדֶתּוֹ בְּשַׁלְמֵי conditum, adeoque immortali vitæ conditione, innocentia, sanctitate, aliisque animi dotibus in primordiis rerum ornatum fuisse, ex revelatione liquet. qui tamen beatissimus paullo post depravatus est status. Talis autem depravatio, architecto satana, lapsui primæ mulieris עַלְמָה factæ natales debet: cuius Adam quoque sua culpa factus est particeps, sacra dictitante historia,

A

Gen.

וְתָתַן כִּחְשָׁה (גַּם לְגַתֵּחַ) אֶמֶת וַיֹּאכַל:
Gen. I.6. Hujus autem corruptionis causa organica erat serpens,
& quidem naturalis. Qued, habita ratione arctissimæ, qva premimur,
temporis angustiæ, afferere, pro modulo ingenii probare, contrariasqve sententias refellere, B. cum D. conabimur.

CAP. PRIUS.

Θέσιν ex avulsiōne adstruit.

Inter Philologos veteres pariter ac recentiores, ut & Rabbinos, acerrime disputatur, qvisnam deceptor πειραλάσων fuerit, & cui pœna à summo Numine indicta sit, soline diabolo, an soli serpentis, an diabolo & serpentis simul; vel an diaboli pœna à serpentis separata sit. Itaque.

MEMBR. I.

Sophismata eorum, qui serpentem naturalem vel ab ipsa seductione, vel à pœna seductionis excudunt, tractat.

Dlabolum serpente non usum fuisse cœu

organo, sed instar serpentis tantum adparuisse, sane non desunt qui dicant. videlicet Bud. Hist. Eccl. V. T. Per. I. in σχολ. Hujus quoque erroris Cyrilium accusat Pol. Syn. Crit. Votum. I. p. 28. Horum lateri pro prius admovendus est Philolog. Jenens. M. Russus in exercitat. de serpente seductore non naturali, sed solo diabolo. At Henr. Bened. Stark in notis select. erit. & exeg. p̄cēnam v. 14. Gen. III, à Deo irrogatam esse serpenti non naturali, sed uni & soli ἐνεργεών, sive potius & (ut loquitur) convenientius personato, diabolo ac satanae, putat. Eadem in sententia fuere, & pro hac re, in lucem veritatis pugnant non pauci. Gussetus in Controv. adv. Jud. Vern. p. 4. seq. Witsius Oeconom. fæd. L. 4. c. 1. §. 3. p. 554. Joh. Winkler. super tentatione CHRISTI ex Mat. IV. Sigism. Hosman. ad Ligthfooti obs. in Gen. p. 92. &c. Ortlobius in Schebiasm. Lips. 1708. de serpente non punito cum satana. Inter hos etiam numerandus est Cajetanus, de quo

Mich. Walth. Harm. Bibl. p. m. 71. serpentem hic non intelligi verum & naturalem, sed dæmonem, existimans & statuens. Et hos in defectu peccare vult Dachf. Bibl. Hebr. Accentu. ad cap. III: Gen.

MEMBR. 2.

Supra dictis se opponit, & serpentem fuisse naturalem, statuit & probat.

Historiam seductionis descripturus Moses, methodo utitur naturali, à subjecto ejusque prædicato initium faciens. representatur qvippe serpens ut animal callidum, & qvidem טַבֵּל חִירָא חַשְׁרָה: Prædicatum hoc עֲרוֹם utriqve tam serpenti, qvam diabolo non est inconveniens. Ut enim vaferrimus ille spiritus & υπεροχην τον omnium confessione maxima pollet astutia: ita hæc proprietas & alibi citra hunc locum in scripturis de serpente prædicatur. namqve non tantum Gen. XLIV. 17. Dan, astutæ suæ gratia, serpenti & cerastæ affinilatur: sed & clarius Mat. X: 16.

Apost.

5

Apostolis commendatur calliditas
& prudentia serpentis, his verbis:
γίνεσθε Φερνιοι ὡς ἐτόφεις. Nihil
itaque hæc ratio pro diabolo solo
concludit; sed manet, duas has na-
turam, *serpentinam & satanicam*, in
actu seductionis *παρεγγαλκως* fuisse
unitas. Pfeif. d. v. ad h. l. Verba
autem illa v. i. referenda sunt ad
serpentem, quem fuisse naturalem
solida argumenta probant. Id enim
in primis ostendit nomen ψῶν, à
cujus nativa notione nulla causa est,
cur discedamus. Non quidem dif-
fitemur, diabolum Apoc. XII: 9. &
XX: 2. ὁ Φίν αἰχάτον appellari: sed id
υελαφοειδῶς fieri patet, stilo pro-
phetico, figuris alioquin & symbo-
lis refertissimo: quod de stilo Mo-
saico historico & narratione plana
statuere, est manifestissima qvæq; ob-
scurare, certissimaq; in dubiu trahere.
Præterea in demonstrativum,
in ψῶν præfixum, insigni gaudet
ἐμφάσει, nempe quem in no-
dum Vatablus observat, ut intelliga-
mus, Mosen loqui de serpente no-

to. Adisis Pol. Syn. Crit. v. i. p. 28
 Sane hoc arguit, hæcce verba cum
 superioribus cohærere: quod ex part.
 1 etiam colligi potest: nam in cap.
 I: v. 25. 26. de creatione bestiarum,
 &c. II: 19. 20. de congregatiōne &
~~וְאַבָּשָׂתָה~~ earundem agitur: diabo-
 li autem in creationis historia, pla-
 ne nulla expressa fit mentio: ergo,
 sensu ad præcedentia reflexo, de vero
 & naturali dicitur serpente, שְׁחִנָּה
 וְרֹאֶה.

Deinde, observanda porro est har-
 monia versuum 26. cap. I. & v. 1 r.
 cap. III. Refertur שְׁחִנָּה inter bestias:
~~וְאַבָּשָׂתָה~~ autem hinc excludendum
 puto, qvia in numero bestiarum
 eum S. scriptura non habet, nec
 cum iis comparat. Enim vero si con-
 cedamus, vocabulum חַיָּה cujusvis
 significatum habere viventis: tamen
 negamus, aliam h. l. & similibus ad-
 mitti posse significationem, qvam be-
 stiæ. Qvam etiam tum LXX agno-
 verunt, interpretando per Ἡγιών:
 tum Onkelos in Targum, per חַיָּה:
 nce

nec non Syrus per סְרִירָה: quæ sa-
ne verba, in singulis istis linguis,
bestiam vel feram denotant. Hisce
qvoqve addere placet, serpētem non
tantum inter bestias, sed inter bestias
agri etiam collocari. Diabolus au-
tem Paulo est ἀρχῶν τῆς ἐξουσίας τοῦ
ἄγρος, Eph. II: 2. qvi inter bestias a-
gri referri non potest, Bud. H. E. V. T.
per. I. En, horum qvoqve conveni-
entiam, pariter ac gravitatem ver-
borum. priori loco, np. Cap. I:
bestias producere jubetur terra: heic,
scil. cap. III. inter terræ foetus lo-
cum suum tenet serpens. Vi enim
vocis אַגָּרָם agrum denotat, tam cul-
tum & sativum, quam pascuum, mon-
tosum & nemorosum: quod exemplis
probat Edm. Castel. in Lex. ēπλαγ.
ad voc. אַגָּרָם. Qva ratione Syrus &
Arabs per campum exponunt, eodem
jure & Onk. per agrum silvestrem,
ut בָּרָא Chald. locum incultum & sil-
vestrem, feris pascendis destinatum, de-
signat. conf. Buxt. Lex. Chal. Talm.
& Rab. Locus autem diaboli non
de-

describitur per agrum, nec cultum,
 nec silvestrem, sed אל ורבותי בור Esa. XIV. 15. Et hisce argumen-
 tis suffultus, facilissime me adduci
 patior, ut credam, serpentem in
 v. 1. seqq. inter חיות השרח deno-
 tatum, non fuisse alium, quam ve-
 rum & naturalem. Pœnas autem
 serpenti à Deo injunctas esse, membr.
 6. art. primus ostendet.

MEMBR. 3.

*Errores eorum, qui omnia in serpen-
 tam naturalem vertunt, & diabolum
 liberant, recitat.*

His ita breviter expositis, seque-
 tur, ut de eorum opinionibus,
 qui cacodæmonem omnino exclu-
 dent, & ad serpentem naturalem
 omnia applicant, quædam comme-
 morem. Judæi, quos Celeb. Glassi-
 us πωλεῖς διάγε dicit, & Sociniani,
 scil. Smalcius de Fil. Dei c. 2. p. 4.
 Sommerus in refut. Pet. Car. L. 9.c.
 3. de serpente naturali omnia craso
 se (ut loquitur Pol. p. 28. vol. 1.)
 intel-

9

intellexerunt. odium præterea externum & ~~arbitrii~~ naturalem inter hominem & serpentinem corporalem v. 15. dictari contendunt. Nec Jo. Clericus, vir ut alias doctrina, ita audaciori crisi conspicuus, his adstipulari dubitat. Certe naturalem serpentem sermonis & plenæ intelligentiæ usu instructum, Evam circumvenisse, plurimi Rabbinorum somniant: qvibus conformia ex R. Salomonis & Aben Efræ Peruschim colliguntur. His (si Polo credimus) etiam applaudit Julianus, fabulis ethnicorum fidem habens, serpentem (ut Plin. lib. 8. 41.) in morem canum latrasse. vid. Syn. ejus Crit. p. 28. vol. I. Alii, sermonem non tantum serpentis, sed aliorum etiam animalium, Evam intellexisse credunt: ib. A qvibus parum discessisse mihi videntur illi interpres allegorici, qui, serpentem modo fibilo suo aut lusu edidisse symbolum, quod Eva intellexisset, ratiocinatur. conf. Riy. in Disp. de serpente seducto-

ductore apud Dachſ. Bibl. H. Acc. in b.
l. Qui vero sermonis facultatem
serpenti tribuunt, cum, hoc atrocissimum ob facinus, privilegio ser-
monis privatum simul afferunt.
Qua de re quam absurdā statuerit,
literisque consignata reliquerit Jo-
ſephus L. I. Antiq. c. 2. heic alle-
gare non pigebit. Serpenti, inquit,
Deus ademit vocem, iratus ob maliti-
am, qua erga Adamum est usus, ve-
nenumque lingua ejus indidit, & ho-
stem eorum declaravit, admonuitque
caput ejus plagis impetendum esse, tum
quod in hoc pernicies hominis sita sit,
tum quod ipsa bestia hoc facto facillime
opprimatur. Miratu vero dignum
mihi videtur, Schindlerum in Lex.
πεναγλ. sub voce ΖΩΝ, tali in o-
pinatu etiam acqvieviſſe.

MEMBR. 4.

Sententiis & argumentis eorum respon-
det, & diabolum ut seductionis cauſam
primam, pensat.

HOIS in excessu peccare docet Cl.
Dachſ. in Bib. H. Acc. loc. cit.

qvo-

qvorum traditiones solido & firmo omnino destituuntur fundamento. Serpens hic non erat nudus, sed a Diabolo obseßus: tanta enim pollebat scientia, qvanta & qvalis nusquam bestiis tribuitur, nec tribui potest: nec serpenti naturali convenit, hostili ore præcepta Dei pervertere: porro clare ac distincte loqui, non cadit in bruta animalia, qvod multi ex Rabbinis qvoqve agnoscunt, ut R. Saadias, qvem vid. apud Glass. גְּדוֹלָה. Mos. p. m. 101. aliiqve. Ad hæc serpens inter חַיָּה הַשְׁרָדָה & אֲלָמָן numeratur: bestias autem cap. I. producas, si non omnino sine facultate rationi nostræ analoga: videsis D. Isbr. de Diemerbroek. fuse hanc rem tractantem in *Oper. Anatom. & Med.* p. 251. - 254. conf etiam D. Greg. Horstii *Oper. Medic. Tom. I.* p. 218. & 219. tamen sine oratione, & prorsus aliter factas, qvam hominem, qvem sapientia præclarisqve ingenii ac animi facultatibus conditum

ditum , luculenter docet creatio-
nis historia. Nec b. Lutheru perfa-
sum fuit, (vid. Tom. Jen. 2. fol.
239.) brutum animal tanta valere
sagacitate, ut sermonem percipiat,
& de rebus tanti momenti agere &
loqui possit. Supponit ergo aliud
subfuisse ens, spiritum subtiliorem,
qui procul dubio fuit diabolus: &
ille *lingua serpentis fructum dulcem E-
vae propinavit*, Dieter. Ant. Bibl. in
Pf. L. p. m. 417. Præter hæc si serpens
ex insita dñi ausi sermocinatus esset,
nulla est proportio inter peccatum &
pænam. Pol. loc. cit: p. 36. Super hæc,
in maledictione serpentis, de pri-
vatione sermonis altum est silentiu-
m.

Si cui autem, ut Beckero , mi-
randum occurrat, in sacra illa hi-
storia nomen ipsius diaboli distin-
cte non comparere , adeat Dachs.
Bibl. H. Acc. & intelligere ei dabitur,
Mosen hic agere historicum, non inter-
pretem : nec à vero abhorret, quod
Rauppius ad h. l. ait, *Satanae ex-
pres-*

pressam mentionem ideo facere noluisse
 S. historicum, quia de creatione &
 ipsu angelorum nihil dixerat. Certe
 instrumentum pro caussa non ille-
 pide hic, ut alibi, usurpatum. In-
 vestiget insuper Apoc. XII. 9 & XX.
 2. ubi διάβολος & οὐρανὸς explici-
 te vocatur ὄφες αἰχματός, idque
 non temere, sed certa ratione, non
 modo ob vaferimum, virulentum
 & nocentissimum animum; verum
 & ob astutiam hanc, qua hominem
 primum circumvenit, & halitu pe-
 stifero adflavit: ducta appellatione
 non ab assumto schemate, sed ab
 organo seductionis, qua per ser-
 pentem seduxit: quorsum praeser-
 tim epitheton αἰχματός spectat. Huc
 itaque ὄφες αἰχματός Æthiops in vers.
 vocat bestiam magnam, & bestiam il-
 lam antiquam, procul dubio innu-
 ens ipsius atrocitatem in seducendo
 & perdendo homines, quæ tum i.
 Per. V. 8. indicatur, tum verbis A-
 poc. XII. 9. seqventibus enuntiatur:
 describitur quippe, ut πλανῶσ τὴν ὄ-
 καμέ-

καὶ εἴναι ὅλη, qvod in primis ad πεισμονὴν πρωτόπλαστων respectum habere, nullus dubito, qvum & Joh. VIII.44. ἀνθρώπου λόγῳ απ' αἰχνῆς vocetur. Ast supplicium etiam ei dictatum esse, membrum sextum docebit in art. secundo.

MEMBR. 5.

Eorum, qui pœnam serpentis & diaboli confundunt, hallucinationes demonstrat.

Quidam alii se committunt viæ, & satanam qvidem serpenti adfuisse, unaqve cum illo supplicium subiisse admittunt; sed pœnam universam de utroqve, serpentis de satana, satanæ de serpente vicissim explicandam volunt. Hos in duas divido classes: ad priorem, *Ephrem Syrum, Barcepham & Toxatum* refero, de qvibus vid. Pfeif. loc. sup. cit. qvibus suffragatur Bellarminus tom. III. cont. general. II. L. 3. de amiss. grat. & stat. pecc. qvi, cum supra nominatis, verba τὸ πρωτόπλαστον una cum v. 14. tum de serpente na-

eurali, cum de satana commode posse literaliter explicari, afferit. Deinde Musculus & Corn. a Lap. hæc omnia mala, quæ vindicta statuit, tam serpenti, quam diabolo, qui fuit quasi motor & anima serpentis, ad literam competere (videsis hujus com. b. l.) urgent. Alteram classem dico eorum, qui ad unum proprie, ad alterum figuratè hæc omnia referunt. Non jam moror illos, qui *άλλης οὐδεὶς* universam temptationis historiam ineptissime interpretati sunt de voluptatibus & cupiditatibus pravis: ut *Philo Judæus*, *Origenes*, & *Thomas Burnetius*, quorum mentionem facit Bud. loc. cit. præter hos *R. Happenini*, *H. Corn. Agripa*, quos nominat Pfeif. loc. sæp. alleg. immo *Fagius*, & *Beckerus* in mund. fascin. conf. Dachs. Bibl. H. Act. Sed eos innuo, qui pœnam omnem literaliter ad serpētem spectare, diabolo autem anagogice tribuendam putant. Ita sentiunt *Calvinus* apud *Glaß. Mercerus*, *Rivetus*, *Paresus*, *Grotius*,

rius, apud Pfeif. Neque veretur Bonfrerius ad cap. III: Gen. statuere: *Hoc oraculum de serpente vero ad literam accipiendum esse, non nisi allegorice* (: alii anagogice & figurate :) pertinere ad satanam. His subscriptis Tirinus apud Pol. l. c. Ab illis se nec separat Schmidius in *colleg. bibl. prior. loc. IV. ditt. 1. p. 151.* cuius verba heic adducere supersedeo: sufficiat tantum breviter dixisse, eum dupli modo & sensu verba v. 14. explicare, ita, ut quæ in serpentem naturalem sec. literam quadrant, *tropico quodam modo* in serpentem spiritualem conveniant.

Membr. 6.

Allegatorum commentis occurrit.

Duplicem sensum lit. quum ex uno loco eruere non liceat, sententia eorum cur sit approbanda, utique non video. Porro, si stili Mosaii natura attendatur, ei non est mos per continuatas allegorias res divinas proponere: videlicet Dachs.

I. t. nec ulla ratio, qvæ nos eo urgeat, adparet. Insuper ipse Salvator Joh. II: 44. Paulus 2. Cor. XI: 3. 1. Tim. II: 14. nec non Johannes 1. Epist. III: 8. qvum hanc rem indicate volunt, proprie, non allegorice interpretantur seductionis historiam: adisis Dachs. & Bud. loc. cit. Qvum itaqve membr. 2. ostentum sit, serpentem vere naturalem cum diabolo fuisse unitum. & membr. 4. diabolum cum serpente concurresse: officium erit

Art. I.

Serpentis pñnam à satanæ semovere.

Verba, qvæ in v. 14. Cap. III: Gen. continentur. de serpente; at v. 15. de diabolo explicanda sunt. Serpenti enim cuncta tribuere, est in luculenta scripturæ loca manifeste pugnare. Nec omnia, sive proprie sive *άληγειας*, de diabolo exponna volo: nam diabolo non convenit exsecratio serpentis nec maledictio diaboli in serpentem quadrat;

sed uterque horum suam distincte reportat pœnam. Sic itaque serpenti dicitur, **אָוֹר אַתָּה מִכֶּל הַבְּהֵמָה וּמִכֶּל חַיָּת חַשְׁרָה** videlicet qui ante illis (ut supra dictum) annumerabatur, nunc per maledictionem futurus esset omnibus odiosus & infestus. At de diabolo, ut jam prius erat lapsus, ita antequam malediceretur serpenti, sententia dicta erat; quippe qui *απ' αεχῆς σὺ λη αληθέιας οὐχ εἶπες*, ei *τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον οὐσιωτάτης εἶον* erat, cont. Esa. XIV. 11. 12. 14. 15. ut hinc diris illum denuo devoveri esset inconveniens & supervacaneum. Sed, ut ad voc. **נָרָג** redeam. Serpentem ante lapsum bestiolam fuisse pulcherrimam, amabilem, benedictam, & homini denique gratiosissimam, ex probatis multis nostris agnoscunt multi: Gerh. in Gen. p. 71. seqq. 12. Luth. tom. 9. Altenb. p. 72. quæ cum aliis animalibus, in primis cum homine libenter ac cum voluptate vixerit, ib. Luth. nunc autem maledicta, horrenda

renda, venenata, abjecta & noxia facta omnibus animalibus, præcipue homini, quem deceperat, Dieter. *Ant. Bibl.* in c. 3. p. 92. Qvod etiam respicit Alcinus *Avit. lib. 3.*

Omnibus invisus fies, gravis omnibus horror.

Plura autem suppeditat *Pol. Crit. Syn. volum. 1. p. 36.* Hinc fingunt Hebræi in venturo seculo omnia medelam & restorationem acceptura, excepto serpente & Gabaonitis: sic enim illusores & impostores illis vocantur.

Alterum supplicii genus est על תְּלֵךְ. Hoc ad diabolum applicatus, absurde statuit H. Ben. Starck, gressum ei esse duplicem: (α) quod statum, depresso ejus ac humiliatum, nempe dejectionem è principatu ac domicilio. (β) qvoad intellectum & voluntatem, qvod in veritate, vera sapientia & gloria non persistet. plura vid. in *not. ejus Sel. Crit. & Exeg.* At si hæc cum sana interpretatione constare possint, oportet diabolum prius non peccasse, nec pœnas luisse,

quam eo ipso momento, quo *Euan-*
decepit. Secus autem se rem habe-
re, apodictice demonstrari potest.
Porro vocabulum חָרֵב, vi vocis
*Chaldaicæ ἡπάξ, emphatica pollet si-
gnificatione, & denotat incurvatio-
nem in terram.* Conf. Edm Castel. Lex.
ἐπλαγὴ. & Buxtorf. Lex. Rabb. sub
voc. שְׁחִינָה: quod agnoscit & ipse Star-
*kius: γῆναί enim respondet Græc. κύπε-
το, quod Syrus Marc. 1: 7. reddit ḥereb*
significatque incurvationem in teram.
Unde ḥereb de bestiis predicatum,
incurvata n seu inferiorem corporis
partem, qua terram tangunt, notat,
Stock. Clav. L. S. ad h. v. Certe hæc
phrasis חָרֵב עַל non nisi de
reptilibus legitur, cui opponitur
עַל אֶרֶב Lev. XI: 42. Hinc
facillime probatur, pœnam hanc
*fuisse serpentis naturalis, qui eleva-
*ta statuta, (non ut homo, sed ut cer-
vus & pavus, Glass. χρυσόλ. Mos. p.
*87:) & pedibus instructus, ante ma-
ledictionem incesserat; sed demis
pedibus eum repere jussit καρκασθε.
*adisis****

advisis Pol. de hac re fuse differen-
tem in Crit. Syn. p. m. 38.. Ab hac
sententia non discedunt b. *Lutherus*,
Hunnius, aliisque, qvos adfert Pol.
ibid. Bud. *H. E. V. T.* p. 1. Dietericus
Ant. Bib. p. 92. Glassius χλιτολ. p. 87,
Pfeif. *dub. vex. cent.* 1. Edm. Castel.
ad vocem שׁוֹבֵן. Neqve hoc crassum
ad eo videbitur Rich. Simoni *Hist.*
Crit. lib. 3. c. 14. qvum & postea ali-
cubi experientia testis fuerit Plinius
affirmanti *lib. II. Hist. not.* 47. se
serpentes anserinis pedibus vidisse.
Certe tum ante, tum ipsa hora ma-
ledictionis cum. הַשְׁרָה & בְּהִתְהִנָּה
serpens comparatur: si autem ante
maledictionem pedibus caruisset,
omnino inter שׁוֹבֵן ei locus fuisset,
& frustra jam haec poena esset dicta-
ta. Conf. Pfeif. loc. cit. Rivet. in
Exerc. p. 130. Schindl. in Lex *מַלְאָךְ*
ad voc. נֶרְשָׁה

His ei dinuntiatis supplicii generi-
bus, tertium adhuc remansit, עֲפָר
הַאֲכָל כָּל יְמֵי חַיֵּךְ. Hac cum statu
diaboli non posse conciliari, ut puni-
que

que momentum probat Iuculenter.
 Serpens enim, qvum ad modum omnium animalium mortis diem expectare cogatur, hæc verba
 קָلְלִי חַיּוֹת, qvæ de solis mortis obnoxiiis valent, rectissime recipit.
 Diabolo contra, spiritui immortali, nullus est vitæ finis, qvia πνεῦ αὐτῷ
 αἰώνιον, Mat. XXV: 41. Sed nec
 edere pulverem diaboli est, qvæ phrasis violenter eo detorqvetur; sed
 cum superioribus pœnæ modis serpenti tribuendis optime cohæret.
 Hic enim diris devotus, in terram pronus deprimitur, ibique inter repandum pulverem lambit: unde aperte Esa: LXV: 25. כָּחֵשׁ עַפְרָה לְחָמָן qvo etiam respicit Mich. VII: 17. גַּלְחָכָה עַפְרָה בְּנַחַשׁ Vide fusius Bocchart. L. I. Hierotz.. c. 4. pt. Dachſ. Bib. Ascent. ad gen. III.

Att. 2.

Satana pœnam à serpentis separat.

Finito jam ad serpentum sermone, gladii sui fulgur in ipsum diabolum

lum vertit justissimum Numen. In
 superiori versu gravitas verbi אָרוּר apparuit, scil. אָרוּר אַתָּה *maledictus tuus*, jam te maledictum volo, o
 serpens! Hic part. ו & accentus di-
 stinctivus Pessik insigni valent אָרוּר
 omni: inter subjecta nempe disting-
 vunt, atque ostendunt luculenter,
 maledictionem contra instrumentum suscep-
 tam, in caussam continu-
 ari, strictimque in diabolum nunc
 dirigi, & in eo aggravari. Eorum
 ergo non improbandam censet Bud-
 deus opinionem, qui part. ו reddunt
præterea, ita ut verba hæc וְאַבְנֵר
 בִּנְרָא נְשׁוֹת sic vertantur: *præterea*,
inimicitias faciam inter te &c. diabole.
 Valde obscura eis sunt verba πρεμ-
 θιαγελίς, qui non percipiunt, ini-
 micitiam hanc non esse naturalem,
 sed spiritualem: non esse inter ho-
 minem & bestiam, sed inter homi-
 nis Filium & bestiam magnam, ser-
 pentem antiquum, i. e. ipsum dia-
 bolum. Nam qui mulierem s. duxit,
 per semen mulieris erat oppri-
 dus,

dus, caput ejus conterendum: qvod ab alio qvodam, qvam CHRISTO, fieri nec potuit, nec debuit, ut multa & insignia S. scripturæ loca sat ab
unde id comprobant, conf. Rom.
XVI: 20. Inimicitiam autem illam,
qvæ jam est inter homines & ser-
pentes, sane non hic versuſ sed
אָרוֹן in v. 14. denuntiat, qvod ex
art. præc. patet. conf. etiam Deo-
dat. annotat. in b. l. Porro sub no-
mine inimicitiae hæc αἰτιοθεία non
venit, sed aversio dici meretur con-
sul. Dachſ. loc. cit.

MEMBR. 7.

*Aliorum varia εὐθυνήσαται indicat 15
una refellit.*

Quidam affirmant, per προσωπι-
καν dictum, serpentem loquu-
tum fuisse, qvæſi more gentium O-
rientalium serpenti, ſicut aliis be-
ſtiis, sermonem tribuerit Moses: ne-
qve hic aliud innui, qvam serpen-
tem verum & naturalem, ratioci-
nandi & loqvendi facultate destitu-
tum

tum, exemplo suo, adscendenda in arborem vetitam, & de fructibus ejus comedenda, idque citra noxam, sine intentione decipisendi, in idem facendum & se invitandum Eam per pulisse. Qued Bud. speciosum & ingeniosa, ac Polus acutissime à R. Abarbene le excogitatum esse, ajunt. Hoc autem molunga [¶], ille. clariss. Judæorum Doctor R. II. Abarbenel in Gen. III. ex v. 6. evinci putat, ubi non habetur: *audivit vocem serpentis*, sed, *vidit mulier quod bona esset ad cibum*: nec dicitur, ut de asina Balaami, *aperuit Deus os serpentis*: ideoque evidenter probari posse existimat, *cum serpens in arborem illam וְרֹעֵב צָב sapienter adscendisset* & in conspectu Eva comedisset, *cæpisse eam cogitare*, illos fructus non esse letales: idque perinde fuisse, ac si serpens dixisset: *לֹא מָוֶת תִּחַז קְטַנָּה*. Serpentem. autem ideo puniri debuisse, qvia herbis non contentus, in arborem comedendi gratia adscendisset. Verum ex solo serpentis intuitu,

tu, Evæ in mentem cadere nunc quam potuit, se fore instar Dei. Deinde observandum est, in contextu, colloqvio hoc mutuo finito, mulierem, verba serpentis ruminantem, vidisse, non serpentem ex arbore commedentem, sed ipsam arborem, quod bona esset. Allegoricas denique aliorum interpretationes jam superius breviter rejecimus. Fabulas etiam sapit id Rabbinorum, serpentem in colloquendo Evam cœno oblevisse, vid. Lud. de Dieu 2. Cor. XI. 3. ex Maimon.

Alii aliter S. historiam supplere conantur. Nam Rauppio & Zeibigio apud Dachs. loc. cit. sat non est, Mosen perspicue omnia, etiam sermonem serpentis cum Eva narrasse & exposuisse: sed ille vix credibile dicit, à tam paucis verbis Ewam se dementiri passam fuisse: unde prolixius colloquium inter illos fuisse autumat. Hic ex accentu iudicem evinci putat, itaque nuditatis ignorantiam eis proposuisse serpentem,

tem, supponit, quasi nimis aspere tractasset eos Deus, tum in hoc, tum in eo, quod interdixisset eos esu. Hebræi, de quibus adi Pol. *Syn. Crit. volum. I. p. 28.* diabolum in hunc modum loquutum fuisse putant: *Certe Deus odit vos, quod non facit vobis talam ac ealem dignitatem.* Alia animata vobis præstant, idque per invidiam Dei. Hæc autem quam coacta sint, quis non videt? Verisimilius sane est, diabolum fuisse Eva gratulatum de fortuna sua, favore, dominio in creaturas, & ex hac gratulatione occasionem habuisse de imperio in res creatas, de arbore vetita, cum Eva sermones ferere, mirum nempe esse Deum ipsos aruerisse à fructu ejus arboris. sic vult Dachs. loc. alleg. Et hoc calliditati Satanæ maxime convenit. Nos vero extra limites non progrediendum putamus: tamen non negamus, vestigia quædam astutiæ ejus quæri posse in voc. ην οἱ si vertantur. ita ne, vere ne? Etsi variis varie illa interpretantur, adi-
sis

fit Ters. *anno*, in Gen. & Pol. loc. cit. nihilominus illam significacionem cum Dachselio amplectimur: quo adspirant etiam Targum, Syrus & Arabs: nec Samaritana versio vi vocis כִּי בְּבָדָב hac sententia differt: exponitur quippe ab Edm. Castel. in Lex. ēmāyā. per verum ne quod. Sic enim astutus serpens praeceptum Dei restringere tentavit per כִּי הַנָּ, quasi Deum eis commendare vellet, dicens: ita ne, vere ne, qui tam liberalis & summe bonus est, Deus serio vobis hanc arborem retinerit: videsis Pol Crit. S. v. i. Qvod ex responso ei ab Eva dato etiam colligere licet.

Rabbini ulterius meditationes suas fictas hic produnt. Paraphrastes Chaldaeus Jonathan in Targum, exposito serpentis cum Eva in v. 4. & 5. Cap. III. colloqviō, eam conspicatam נֶמֶת angelum mortis, & timuisse ait, vid. Glass. χριστολ. Mos. p. 101. Qvis autem Sammael illis fuerit, non omnes inter se conveniunt.

niunt. Qvibusdam est angelus mortis & princeps aeris, unde in Targum Jon. Job. XXIII. 7. שְׁבֹיָּה אֵלֶּن חַיִּי רַלְעָז חַכְמִיָּה סְמָלָךְ רֶפֶחָ חַיָּר עֲוֹפָא וַלְעָז סְקָרְתָּהָן עִינָּה דְּחוּנָּה semita arboris vita, quam non novit Sammael, volans instar avis, quem non observavit oculus Eva. Aliis est Satanas, R. Moses Ben. Majemon in More Nebochim pt. 2. c. 30. Aliis princeps omnium diabolorum, in Debb. Rabo. Par. haboer. Aliis caput caetuum malignorum, in lib. Scholare orach., lit. 17. fol. 1. Aliis spiritus Asmodaeus seu Asmedeus, qui etiam Rex vocatur demonum apud Talmudicos, Gittin. fol. 681. Aliis princeps impius Rome, R. Bechai in Leg. in fine Par. וְלֹא In Pirke c. 13. ubi exponitur, quomodo Sammael per serpentem Eym deceperit, R. Elieler eum appellat principem maximum qui est in caelis. Qvibus similia quare in Zohar fol. 28. 2. conf. etiam Selden. de diis Syr. Hæc autem eam adducere ob causam placuit, ut cuilibet pateat, quam diverse de Sam-

Sammaele loquantur Iudæorum Do-
 ctores unde argumentari haud dif-
 ficile qvivis potest, eos in explicatiōe
 æqve ac applicatione hujus non inis-
 figmentis, qvæ principiis in in S.
 scriptura fundatis carent, indulge-
 re. **Λνδ** qvippe radicem a-
 gnoscit **Λνδ** excæcavit, ut vi-
 vocis **Λνδ** denotet *deum excæ-
 cantem*, qva ratione 2. Cor IV. 4.
 etiam comparet, ὁ Θεὸς ἡμῶν
 ἡτοῖς εἰπόντως Τις νοήσαται τῶν ἀπίστων.
 Itaqve nec loquendo in aëre, nec
 ut angelum mortis (qvem timuis-
 se dicitur Eva) sed potius ut an-
 gelum lucis se Evæ repræsenta-
 tavit κακοδαιμόνιον, qvi præcepto Dei
 quasi tenebras obduxit, & sic men-
 tem Evæ occæcavit: nam, si hæc
 eum timuisset, utique ei non pa-
 riisset. Corruit & effatum R. Mo-
 sis loc. cit. qvod ex Midrasch se hau-
 sisse ait, *Sammaelem inequitasse ser-
 penti antiquo.* nam præter qvam
 qvod diabolus sub titulo ὁ θεὸς
 χαίρε *venit, Apoc. XII: & XX.*
hæc

hæc ejus species nimis horrida fuisset; insuper evidens est, diabolum non vi qvadam interna, qvod ejus non erat, nec per violentiam externam, qvod statui integritatis minus erat conveniens; sed dolo & adulatione, per meram fvasionem externam egisse.

CAP. POSTERIUS.

Quedam θέσεως dubia solvit.

Sic itaque vīlis pariter ac enodatis variis variorum commentis, nobis adhuc injunctum esse puto, nonnulla, qvæ dubia circa hanc materiam occurruunt, explanare. Sic

MEMBR. I.

Caussam, cur serpens in ὄργανον eligitur, & cur pœnas luit bestia, quodammodo investigat.

Primos seducturus parentes, opera callidissimæ bestiæ utitur & abutitur satanas. serpens enim ipse ad varias præstigias natura pronus, etiam totus ad astuta molimina aptus erat, qvod indicatum vult vox Hebr. בְּרֵבֶג Gen. III. v. 1. Aqvi-

qvila ergo hunc locum sic reddit:
 ήν παύεγθ από παντὸς λόγου. Theodo-
 dotio autem & Hieronymo παύ-
 εγθ erat versipellis. & hæc in ser-
 pentem naturalem optime quadrat.
 At ipsi Salvatori in numero sunt
 Φρονίμων, Mat. X. 16. quacum
 concinunt LXX, qui νελεθησα
 sua de πάντα produnt hoc mo-
 do: ἦν Φρονιμός πανταν τοις Ση-
 εργον Arabs dicit eum sapientissi-
 mum, eo scil. jure, quo CHRISTUS
 Luc. XVI. 8. λέει νίκης λέει αἰώνα
 τοις Φρονιμούλεργος υπὲρ τοις νίκης λέει Φρο-
 νήσος appellat. Hæc arguunt pru-
 dentiam & caelitatem non tantum
 in cavendo sibi, sed & in insidiando
 aliis, quod genus astutiae dicunt esse
 belluinae, in primis serpentinae: adi-
 sis Walth. Harm. Bibl. p. 71. Pol.
 Syn. Crit. vol. I. p. 29. 30. & IV. p. 272.
 ubi Φρόνος serpentum haud ine-
 leganter depingitur. Qualis autem
 cunque fuit astutia serpentis, certe
 occasio erat diabolo ipsa abutendi.
 Sic enim astutus & versipellis dia-
 bolus

bolus callidum animal sibi ὅγειαν
 assūmisit, & illud obſidendo, ad
 locum, ubi morabatur Eva, se con-
 tulit, ibique lingyam ejus movent-
 do, ipſe cum Eva loquutus est. Il-
 lud autem æterno permittente &
 dispensante Numinē est factum, qvippe
 cui viſum est, hominem in spe-
 cie nobiliōri non tentandum, ſed
 per ſerpentem, ut ex ejus aſtutia
 fallacia diaboli potius deprehēderet,
 conf. Lyr. ap. Pol. loc. cit. Ser-
 pentem vero ideo puniri voluit
 קָרְבָּת יְהוָה, ut detestationem la-
 psus dilucide monſtraret, qvem in
 modum etiam animal brutum, quo
 abutitur homo, occidendum sanxit
 Exod. XXI. 28. 29. Lev. XX. 15. 16.
 alibiq;. Nam peccatum est cauſa ma-
 lorum non modo ινεγγίων, ſed etiam
 ὑπεργγίων, ut Theodoreetus ſane
 non inveniſte in b. I. Deinde, ut
 Φιλανθρωπία ſuam declararet, ſer-
 pentem, cujus opera à diabolo no-
 bilissima creatura corrupta eſt, et-
 iam detestabilem reddit. conf. Ger-

C hard.

hard. *Com. in Gen.* p. 104. Ut denique indicaret, bestiam hominis dominio Gen. I. subjectam, jam ὄφεαν in domini sui corruptionem factam maledictione eam jure perculit. adi-sis Gesn. p. 96. Pfeif. *dub. vex Cent.* I. Dieter. *Ant. Bibl.* p. 92. Glass. Χρι-στολ. *Mos.* p. 89.

MEMBR. 2.

Quænam species fuerit serpentum, & tandem caussam, cur Eva per serpentem se seduci passa est, inquirit.

Serpentum varia esse genera, ipsa probat experientia. Plant. *Flor. Rab.* 1913. statuit triginta, ex quibus certe unum fuit, quod ὄφεαν diabolo erat. Scriptura nomen, omnibus generale, ωῦν Gen. III. v. 1. tantummodo nominat: interpres ergo de hocce serpentis gene-re varie disqvirunt. Quibusdam placet fuisse lamiam, quibusdam basiliscum, aliis serpentem aureum, aliis ptyadem, nonnullis draconem,

pau-

paucis psittacum. Nobis autem verisimilius videtur fuisse species viperarum : ei qvippe optime conveniunt, qvæ in v. 14. Cap. III. denunciatur. Hunc autem serpentem **Eva** vidit & agnovit: sed utrum pro serpente mero; an moto ab aliquo genio; an spiritu puro, sive bono sive malo, cum haberit, diverse loqvuntur. Evam secum pensitasse, *num serpens etiam haberet vim loquendi*, vult **Cyrillus** in Pol. p. 29. v. cui etiam accedit. **Estius** in sent. l. 2. distinct. 21. existimans, *perfectionem mulieris non exigere*, *ut congenitam omnium naturalium rerum scientiam haberet*, *ut viri perfeccio exigebat*; *quia creata erat*, postquam **Adam** nomina bestiis indiderat, nec harum rerum experientiam habebat. Hæc ille. At **Medus** in dissert. 37. ita contra ratiocinatur, quasi **Eva**, *spiritum sagacissimum fuisse*, eumque mentem **Declarious** quam se intelligere potuisse putaret. Nec **Lightfootus** hoc improbavit, qvi & ipse credidit, **Eva** ad-
huo

huc non fuisse notum , ullos ex-
 stitisse angelos males , sed pro bono
 angelo hunc habuisse , purans tales eu-
 stodes sibi maritoque suo à Deo assigna-
 tos . Sed quid hallucinabimur ? &
 cur perfectionis jus Evæ denegabi-
 mus ? Certe angelum per serpe-
 tem loquutum satis illa intellexit .
 Verum quum ab isto integritatis sta-
 tu omnis exsularet metus , neque
 speciem animalis eujusquam prin-
 ceps eorum horrere , neque geni-
 um ullum Numine confusa formida-
 re potuit . Et criminaciones insti-
 tuti divini , non nisi à mente à
 Deo alienata proficiisci , non potu-
 it non animadvertere . Cur vero ,
 inquis , auditis blasphemias tergum
 non verit ? Hoc perinde est , ac si
 quæras , cur lapsa est ? nam quod
 facilem calumniis præbuit aurem ,
 proximus erat ad lapsum gradus ,
 unde seductor pollicitationibus ma-
 gnificis animum , speculari istas in-
 cipientem , astute inclinavit , & mox
 præcipitem dedit , nihil effecturus ,
 nisi

nisi spontaneus arbitrii humani abusus accessisset. Pottuit ad lapsum momentum addere innocua, quam vidi in serpente, arboris illius fructusque contrectatio, quum ipsa in vetitis & mortis caussis, recensuissest, לא נגעו בו Atqui haec sunt, quae, ea quia potuimus brevitate & perspicuitate, tractare promisimus. Superest iam, ut proposito nō nos Deo O. M. commendemus, velit ἡ ἀποκλιτεύσης ἡ θυγατέρη τῆς πίστεως contra astutiam diaboli serpentinam nos munire.

בְּכָחֶה לֹא אֱלֹהִים לְטוּבָה



Populari & Amico
Dn CAROLO MALMBERG
Intricatum primæ Seductionis
œyavov extricaturo.

Egregie nobis specimen das indo-
lis, euge
Tu decus his Charitum: quod stu-
diuum docile
Ingeniumque tuum & quam sit tua
docta Minerva
Nunc monstrat calamo: præmia
magna feres.

Amice gratulatur

ANDREAS FLODIN
Commissær ad parœcias Sund &
Wärddö Alandorum.